



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,  
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1649**

§. 14. Quantum profit, alterum admonere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)

mo dum pœnam indixit, ad veniam inuitavit. Minari, est monere. Audi me igitur serio, & consilio meo da locum; constitue vel jam à scelerosa tua vita desistere; crimina quæ fletu dilue; & cœteriatam tuam conscientiam, cum gemitu, detege sacerdoti; quis scit, an non Spiritus S. qui bonitas Dei Amorquæ appellatur, unuquodcumque cum Patre & Filio Deus est, pœnitentiam agenti veniam largiatur? Nulla ille re magis offenditur, quam si quis desperet de illius bonitate, aut contra stimulum calcitret; nulla illi magis in homine peccatores placet, quam si, post lapsum, ad misericordia fontem recurrat. Hæc talia audiens agrotus, non jam ob supplicia sibi impendentia; sed ob flagitia, quæ sciebat se perpetrasse, contremuit; atque ex animo dolens, quod Creatori suo creaturas anteposuerit, & tantum tamquod benignum Dominum reliquerit, benefactorique ac beneficia plura conferre volenti ingratus, tam diu restiterit; rogauit fratrem, ut sibi actutum iuberet vocari sacerdotem. Bonum factum. Adfuit, sine mora, sacerdos, cui, tanto animi dolore, peccata sua recensens se se accusauit, ut præ gemitu & fletu verba singula interrumperebantur.

XIV.

QV AN-  
EVM PRO-

O si multi tales fratres haberent! vel, in ipsa morte, ad pœnitentiam potiùs, quam ad pocula

pocula, ad risum, ad libidinem adhortantes! Quid non potest pia alterius admonitio! quos non eripuit è medijs Orci faucibus? Neque verò Religiosorum tantùm est, aut Parochorum; sed etiam parentum, fratrum, amicorum, quin & sociorum, adhortari ad charismata meliora. Si enim toties socijs socij sunt occasio cadendi; cur nolint eosdem erigere rursus in virtutem? Ah quàm multi ab impietate sua reslirent, si tales haberent, admonitores! Non piget, præferre facem, euntibus per tenebras; & piget ostendere, errorem euntibus ad Infernum? Cur, ô Christiane, de lumine tuo, fratri tuo non offers lumen? *Hoc magnum lumen*, ait S. Gregorius, *tenebras cordis euacuat, mentis oculos purgat, animos erigit, corda accendit, edocet semitas iustitiae, desiderium virtutis adauget, magnum lumen, per quod vitamus offendicula, precipitia praecauemus, euadimus pericula, pertransimus laqueos, non timemus prospera, sustinemus aduersa; respicimus errorem, sequimur veritatem; Dæmonem vincimus, & sequimur Christum.* Hoc lumen multi, in alijs, possent accendere, si pius hunc fratrem vellent imitari; si ipsi diuinum in pectore ignem gestarent; qui ardet, vt illuminet; illuminat, vt ardere faciat: illuminat

SIT, AZ  
TERVM  
ADMO  
NERE?

S. Greg.  
in Psal. 6.  
Pœnit. ad  
vers. 6.

luminat in intellectu, ardet in voluntate, in qua magnum excitat de peccatis dolorem, & vehemens efficit desiderium salutis; & quidem adeò efficaci validoque impulsu; vt tollat omnem mentis tarditatem, summaque celeritate currere, immo volare faciat accensum, vt se eripiat è statu malo, in quo hæserat, (*quemadmodum ceruus*, qui serpentem deuorauit, aut quem canes, persequuntur) reperiatque fontem viuum gratiæ, atque à peccatorum suorum veneno, crudeliumque hostium persecutione liberetur. Hoc modo, post multas longasque moras, & tergiuersiones, tandem fraternis facibus inflammatus festinauit desperatus ille adolescens, tantoque properantiùs festinauit, quanto mortem vidit in limine sibi adesse viciniorem.

XV.  
S. SPIRITVS  
SVA-  
VISSIMA  
CONSO-  
LATIO,

Neque sanè serò. Quippe, cùm, peractâ peccatorum accuratâ confessione, sumtoque SS. Eucharistiæ Sacramento, extremamque ad luctam sacro oleo inunctus, vltimam vitæ suæ horam, in omnia temporis momenta, præstolaretur; ecce tibi, nocte tertia, alius se illi quispiam veneranda specie vir conspiciendum præbuit, duobus, qui præcesserant, vultu haud dissimilis; stola candenti amictus; cuius humero niuea & argentei fulgoris columba